TENTAMEN MEDICUM, INAUGURALE, DE SANITATE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRÆFECTI;

NEC NON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES FORREST,

SCOTUS.

Σεμνὸς ἔρως ἀρετῆς, ὁ δὲ κυπρίδος ἄχος ὀφέλλει. SPEC.

AD DIEM IV. OCTOBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

GLASGUÆ:

TYPIS JACOBI MUNDELL, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1799.

GULIELMO HUTCHISON,

DE ANNAFRECH,

ARMIGERO;

VIRO

SUIS VIRIBUS INNITENTI,

AMICO CERTO

IN

RE INCERTA;

TENTAMEN HOCCE MEDICUM

DE SANITATE,

ANIMI HAUD INGRATI

PIGNUS,

SACRUM VOLUIT,

JOANNES FORREST.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

SANITATE.

PATER rerum benignus, cui præteritum et futurum ſemper æque præſens, ſumma ſapientia omnia conſtituit, ita ut maximum bonum efficere congrediantur. Corpuſculum nullum ſine uſu creavit. Nihilum profecto juſſit evenire incaſſum. Eventa quæ dum inſtantia, homines inter ſe infeſta deſignare conſenſerunt, plane ſane beneficia obumbrata tempeſtive probata fuerunt. Verum enimvero eæ mutationes letho ſimiles, quas omnem naturam pervadere aſpicimus: etiam ſeries rerum horrificiſſima, quando equidem cauſas et exitus viderimus, vires utiles fuiſſe ob univerſi conſervationem aut commodum, clare monſtrabuntur. Ex arcanorum naturæ eorum progrediente explicatione, quorum complurima a curſu eventorum fixo tanquam lento, arcana haud diutius manent,

ſic ratiocinamur. Niſi, inquit ille qui omnia "in-
" tus et in cute noſcit," niſi frumenti granum "ad
" terram lapſum moriatur ipſum ſolum manet:
" Sin moriatur multum fructum edit." Ut gra-
nis ita cum omnibus vitam degentibus. "Ma-
" china vero animalis ſic conſtituta ſtatim defluit,
" cito etiam periret. Homo enim quamvis ſanus,
" et robuſtus et vegetus, labentibus annis, et ipſe
" dilabitur, ſeneſcit, moritur, in priſtina elementa
" ſolvitur, aliis animantibus pabulum futurus.
" Sed nuſquam alma rerum parens prolem deſe-
" rit. Hæc autem naturæ lex, hoc conſilium;
" ut ſinguli pereant homines, gens humana flo-
" reat. Hinc ſexus, hinc generatio et proles, et
" quicquid ſuavis, quicquid amari alma Venus
" habet *." Venti, procellæ, terræ motus, toni-
tru et fulmen, rudibus gentibus et incultis, uti dæ-
mones noxii culti, revolutiones eſſe naturæ noti,
legibus conſentaneæ, ordinem conſervare, opera
extendere, utiles, et illam amplificationem augen-
tem producere, quam per totum mundum promo-
vere gaudet. Quippe in operibus omnibus, con-
ſtans ſibi et concinna, poteſtatibus officiis aptatis
dotavit æque ac ornavit, ex legibus mirabile ſin-
gulis impenſis, totius ſymmetriam venuſtam ſuſten-
tavit. Si in materie inanimata dictum ita eſt, in
modum ſane mirabiliorem per omnem vitam de-
gentem. Omnia vita prædita, cum inſtinctibus
accommodatis locis fruuntur, victum ſuppedi-

* Gregor. Conſp. Med. Theor. Vol. I. p. 3.

tandi, morbos curandi et ſpecies propagandi, viis ad omnium commodum optime inſtitutis. " Pro-" vida rerum parens, cui ſumma poteſtas," in animalium quam partem, ob conſervationem et tutelam, vim veram tutius collocare, plane profſpicitur, Anacreontis verbis floridis :

——— κέρατα ταύροις,
Ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις,
Ποδωκίην λαγωοῖς,
Λέουσι χάσμ' ὀδόντων,
Τοῖς ἰχθύσιν τὸ νηκτὸν,
Τοῖς ὀρνέοις πέτασθαι,
Τοῖς ἀνδράσι φρόνημα.

Natura ductus homo, omnia ſua opera perpendit, et licet prima fronte, nondum clare intelligeret, explorare pergat, quoniam etiam errores et culpæ, ſi honeſte et aperte eas narrat, quantumcunque ſuperbiam enecent, periclitatores futuros, de ſemitis evitandis, de periculis cavendis, monere ſpeculas evadunt. In arte fere nulla inveſtigatores, plus caligine prætentaverunt, aſpectibus ſpecioſioribus decepti fuerunt, aſperitates majores, quam arte medica, ſupervaſerunt. Ars ſacerdotibus exercitata; aſtutiæ ſacerdotalis dolis omnibus maculata, inutilium noxiorumve farragine onuſta; carminibus, incantamentis, et atræ ætatis ſuperſtitioſæ omnibus ineptiis irrogata. Attamen lux dubia per nebulas ſubinde ſublucebat, deinde fulgebat. Paulatim hominibus vincula perrumpentibus, pro

ſemetipſis cogitare incipiebant. Simplicitas nuda et inornata nutrix artium, in omni ſuo ſplendore indigeno ſeſe oſtendit. Culta erat, et "artium li-"beraliſſima ars medendi" cito emergit.

Nihilominus itaque Numen ad hunc modum, corporis humani compagem ita conſtruxit, ut incorruptibilem, et nullo auxilio egentem videtur; tamen experientia triſti, ut res longe ſit aliter, docemur. Morbi imprudentia gignantur, qui alio módo perſequenti evitarentur.

Qua ratione homo "nobile opus nec niſi uni "excogitandum" vitam ſanam degat, quædam ſolummodo enumerare ſubmiſſe propono.

Sæva lex Spartana, inſalubris aſpectus liberos imperans, in cavernum prope Tygeti montis fundum præcipitari, forſan quæſtum ſuggeret, ut homines infirmi, et male ſe habentes, uxorem ducere; mulieres valetudinariæ, viro nubere interdicerentur. quippe domum in arenam ædificat, qui prolem ſanam, e parentibus morboſis, educare ſperat. Ita medendi ars facilior fieret, et magnopere, ni fallor, rempublicam promoverit. Attamen cum apud gentem perpolitam, et (da veniam) forſan etiam effœminatam, lex adeo inurbana derideretur; ad hujus tentaminis propoſitum proprium pergimus.

Primordia novi animalis humani, naturæ arcana,

magna ex parte impenetrabilia, adhuc manent. tam minime de modo quo materia, prima inanimata, tandem animatur, quam complurimis de internis machinis lethiferis, ope divina inſtructis. "Variæ "autem partes quæ ad vitam omnino neceſſariæ "ſunt, unde veniant et quando, et quo ordine "perficiantur, nemo eſt qui dixerit, aut quomodo "talis conditio rudi indigeſtæque, ut videtur, "maſſæ detur. qualis eandem idoneam fecerit, ut "certo modo diſtendatur, et creſcat tandem in "pulcherrimam formam *." At infantis forma, conſtitutio, et ſanitas, valde a parentibus pendent; maxime matre, autem uterum gerente.

Mulier gravida, morbis quibus antehac incolumis, obnoxia eſt. Nauſea, vomitus, aucta irritabilitas nervoſa, obſtipatio, malaque varia parvula, nunc membra invadunt. Organa genetalia, tantum pro ſemetipſis prius agentia, ad novum animal concipiendum, alendum et evolvendum, jam diriguntur. In ſtatu hoc, humanitas maxima fœminæ eſt debita. Natura libertate exultante, cohibitionem fere nullam pateretur: deſideria etiam deridicula impune plerumque concedantur. Omnes hæ religationes execrandæ, quæ mos, tyrannicus mos impoſuit, haud mora dimitti debeant. iſta præſertim cinctoria exitioſa, ex ceti oſſibus facta, quæ tandem noſtris puellis formoſis, magna ex par-

* Gregor. Conſp.

te, ſperni fauſte videntur. Exercitatio, præcipue ſub dio, per graviditatis gradus omnes, ſummi eſt commodi. Nauſea et vomitus, Theæ macis paululum vel Menthæ bibendo ſedentur, attamen interdum non ſine opio. Alvi retentio, diæta vegetabili, fructibus maturis ſubacidis, et pro re nata Cremore Tartari, vel Magneſia cum Rheo ſublevetur. Puerperio appropinquante, gravida ab aliquo *accoucheur* peritiæ cognitæ, vel potius obſtetrice, ſi fœminæ duntaxat æque edoctæ, opem peteret. tali attrectatum omnem moleſtum præcavante, naturam, magna ex parte, ſuum opus proprium complere ſinet; ducta cujus manu ſolerti, proles innocua tempeſtive producetur: morbis quibus mulieres ſunt obnoxiæ, paucioribus et levioribus, et ſanitas et felicitas opus coronabit.

Partu bene peracto, matre probatiſſimo modo tractata, tumultu minimo ad ſomno fruendum compoſite ordinata. Infans ab omnibus ſordibus penitus purificetur. Munditia, in vitæ omnibus gradibus magno eſt commodo, at in pueritia momento maximo. Lavatio frigida cum aqua frequens, et frictio linteo vel panno laneo, cutem eodem tempore detergent, et ſtomachum cum toto corpore confirmant. Revera munditia plerumque affatim obſervata, cum mater ſuam prolem nutricat.

Infans, ubi penitus lavatus fuit, panno laneo vel xylino, haud aciculis et funibus, veluti mercato-

rum bona conſerta, induatur. Omnis natura libertate gaudet, in vinculis floret nihil. Catuli animantium omnium, in membrorum ſingulorum uſu libero exultant; æque liberi juvenes ſint noſtri, cum tantum veſtitu, quantum ab algore conſervet, et æque beati manebunt. Iis officiis præſtitis, mater inculta in ſilvis habitans nunquam cenſeret, attamen papæ! matri manſuefactæ ſæpius occurrit, infantem derelinquere, peregrina ſtipendiaria nutriri. O ſævæ matres! proli ſæviores quam feræ. Alma natura ita ſapientiſſime omnia ſua opera exornavit, ut lac naturaliter et neceſſarie fœtus evolutione et perfectione, mammis matris generatur. In caſibus nonaginta et novem ex centum, ubi mulieres naturam colunt; aperte vivunt et ſimpliciter ut illa dirigit, mater lac infanti præbere præpoteſt; et niſi aliquid clare vetavit, minime mater, nomine indigna, quæ ſobolem ſuam nutricare recuſat. at heu, pigritia, et mos, execrabilis mos, hi felicitatis confectores, polluendo virtutem, fœminas ſic turpiter adeo crudeliter proles deſerere induxerunt. Matres improvidæ! raro unquam ſentitis, quanti voſmetipſorum, filiorum et ſocietatis ſalutis et felicitatis, ad hujus funeſti moris delubrum immolatis. nulla nutrix ſtipendiaria, infantem invigilet, ut mater invigilat; mille deſideria anonima audeat, videat et perſentiat, ut mater, vera mater, audit, vidit, et perſentit. tamen adhuc ſpero, cum cataſtræ cetaceæ dejiciuntur, noſtras mulieres natales formoſas perſequuturas eſſe naturam, et ſummum decus, liberorum nutrices æque ac matres,

æſtimaturas eſſe. Infans, præter matris lac, nullo vix alio cibo, ante menſem tertium eget. et certe matris lac primum eſt medicamentum et optimum quod exhibere debemus. "Natura infantum ne-"ceſſitatibus intenta, coloſtrum ſuppeditavit, quod "vi ſua cathartica efficacius medicamentis omni-"bus meconium abluet expelletque *." At infans uberi admoveretur multum citius, quam jam in conſuetudinem venit, in horis quatuor aut quinque poſt partum, puta. Compotricium garrulitas abſit. lac mammis deeſt; nihil infans ſugit, aut ventum ſugit. Suget quodcunque natura comparavit, et id edepol! ſatis. Carne veruntamen æque ac granis aut graminibus victitamus. menſem circiter ſecundum ſive tertium quapropter, granorum pauxillum diſſolubiliorum, quotidie infanti adhibendo, incipiamus; ſicut panis triticeus cum aqua et ſaccharo coctus, juſculum ex hordii vel avenæ polline confectum, ſubinde jure pullino aut bovino admixtum, quod proclivitatem illam ad aciditatem cohibebit, quæ diæta omnino lactis, poteſtate cathartica ætate diminuta, poſſidet. Infans circiter menſem nonum delactetur, cibo antehac eodem quo parentes victitare aſſuetus, qui pro adultis et adoleſcentibus ſemper ſimplex eſſe debeat. Miniſtratrice cauta, ſi non aliquo parentum cura ſumma invigilaretur, et artuum omnium uſu libero indulgeretur. Semetipſum et alios a nocendo ſolum-

* Remmington, de Quatuor Vitæ Gradibus, p. 7.

modo tueatur, ut libertas vera ſemper tuetur, ab hoc ad annum decimum quartum, maximo commodo incipiamus :

"To teach the young idea how to ſhoot."

Nunc ſemina feramus, quæ, viruma ut hominem, civem ſuis viribus innitentem mancipiumve jugo dignum, producent. A die natali ad pubertatem, quod annos tredecim aut quatuordecim complectitur, morbis complurimis obnoxii ſumus, ad quos curandum, a medicamentorum congerie nimium pompoſa, plus mali quam nihil agendo oritur. Hac ætate tenera, medicum caute deliberare, feſtinare lente, oportet, ne cum medicamenta adhibeat, Pandoræ Pyxidem tantum aperiat. "Alta mente repoſ-"tum habeat quiſquis de patria et medicina bene "mereri cupit, Naturas eſſe medicatrices morbo-"rum, et ſummum artis multa ſcire et pauca "agere*."

Tormina et dejectiones alvi virides quæ iis plerumque comitantur, Magneſiæ et Rhei pauxillum adhibendo ſubleventur. At Narcotica et Potiones Spirituoſæ haud raro noxioſiſſimæ ſunt, et nutrix quæ ſua ſponte illa adhibere audet, in cuſtodiam daretur.

Convulſiones a dentitione Gingivas incidendo et

* Annals of Medicine, 1798. p. 453.

Tincturam Opii adhibendo, aſt nequaquam ambulatrice qualibet, removeantur.

Vermes, quando equidem in inteſtinis illas hoſpitari certiores fiamus, amaris ex regione vegetabili, Hydragyr. Mur. Mit. Jalappo, Ferro, Aqua calcis, necentur et expellantur.

Pubertas, ſub puellarum decimum quartum annum, puerorum decimum quintum, rerum ordinem novam efficit. mens nunc late expandens demonſtrare incipit, ut ſementum feceris ita et metes. Juvenis, an Neutonus, Nerove, homo emunctæ naris, vel Sapientum Octavus fiet, nunc auguremur. Ætas ſalutis maximæ et felicitatis hæc eſt, ſi equidem naturam almam colere auſi ſumus. At heu! voluptatibus dediti, una ab lætitia fallaci ad alteram irruimus, uſque eo poſtremum, umbram venantes, rem perdamus. Sexus evoluti, et ad ſuos ſimiles gignandos idonii, locos ſuos proprios vindicant. "Tum pubes venit, ſemenque fœcundum "ſecernitur, cujus ſtimulo adoleſcens ad grata ve-"neris munera incitatur *." Vox mutat, "fit "gravis et magis ſonora," et puer facultatibus hominis induitur, puellæ menſes eveniunt, "mam-"mæ eſſloreſcunt, nova venuſtas ori, nova elegan-"tia univerſæ formæ accedunt," et amor omnia vincens, puerum pariter ac puellam ſuis vinculis

* Gregor. Conſp.

nectit. Corpus nunc ſuam formam commodam et firmitatem adipiſcens, morbi quibus antea obnoxium evaneſcunt, at illis ſæpenumero ſuccedunt, quos juventus inconſiderata ſibi ipſi inducit. multi ad veneris templum, nunquam ſurrecturi, procidunt. Perturbationes illas ad moderandas, quibus, hoc gradu ætatis lubrico, conflictamur, cibo diæta vegetabili plus quam animali conſtare debet, aqua potius quam vino potus. Liquores ſpirituoſi maxime noxii ſunt; hac ætate, quicunque iis indulget, in exitium inevitabile ruit. "Vinis generoſioribus rariſſime et parciſſime utendum; liquores ſpirituoſi, depravato tantum appetitui ſervientes, tanquam venena certiſſima vitentur *."

Exercitatio et mentis et corporis, alacritate ſumma jam perſequenda eſt, ſi roborare ſive ornare aut corpus aut mentem ſperamus. Pigritia autem et ignavia, hac ætate, æque utrumque nocent. Morborum fundamentum ſtruunt, quod ſapientia futura rariſſime amoveat, et cui medicina adhibeatur incaſſum.

Lectus ſtramineus aut crinalis, cum ſtragulis levibus, potius quam culcita plumea, ſanitati et agilitati eſt juveni, et maxime iis conferret ut multo mane ſurgeret.

---

* Remmington, de Vitæ Quatuor Gradibus, p. 17.

Morbi ſexuum qui rationem vindicant, ſi haud numeroſi perſæpe durabiles. Provida rerum parens, optima ob propoſita, nobis venerum appetitum dedit; at pro dolor! quam ſæpiſſime naturæ ordinem invertimus. libidinis effrenatæ, quot juvenes præda fiant; reficiendi nunquam, quot diruuntur. concubitus præmaturus et præceps ſexuum amborum æque ruinam efficit. "Quam te-
"træ lues ex concubitu vago, quam acerbi dolo-
"res exoriuntur *." Libido autem ſolitaria ad cujus gratificationem unus ſolum ſufficit, plures quam enſis conficit. Turpitudinem infamem, lugubremque ruinam, alicui iſti luxui dedito oſtendere, eſt contra dementiam diſceptare, cum ventis pugnare. tametſi quod ratio nequit, matrimonium efficere poteſt; neque revera poteſtatis æque aliud eſt remedium. Debilitas et mentis et corporis, quæ a coitus vagi nimio cultu, vel maſturbationis luxu, originem ducunt, diæta refrigerante et nutriente, cortice peruviana, ferro, et balneo frigido, ſublevetur. At ſi unquam "obſta principiis" penſum meruit, meret hic; propterea quod, quum mentis iſta clades habenis potita eſt, ſero equidem.
"ſero medicina paratur."

Retentio menſium, inter morborum primos qui bus puellæ obnoxiæ ſunt. Diæta nutritia et exer citatio ſub dio libere fruita, hoc malum plerum

---

* Remmington, de Quatuor Vitæ Gradibus, p. 18.

que tempeſtive removebit: at ſi aliter, Aloes, Mercurius Dulcis, Chalybeata, electricitas, haud raro opem ferent.

Suppreſſio menſtrui fluxus, ſi ex frigore externo oritur, balneo tepido, veſicis aqua calida impletis, pubis regioni admotis, Calomelano, Sabina, Aloe ſublevabitur.

Menorrhagia, vel menſium profluvium, ſi ex frigore diaphoreticis, ut Pulv. Ipecac. Comp. debilitate tonicis, ut cortice et ferro, irritatione ſedantibus, ut opio, ſiſtatur.

Leucorrhœa, modo fere eodem quo Menorrhagia medenda, at aluminis aut Vitrioli Zinci injectiones, in morbo hoc maxime commodi ſunt.

Ægrotationes aliæ enumeratæ fuiſſent, niſi quod diſſertationis hujuſmodi limites vetant.

Homo nunc ætatem illam, virilem dictam, attigit, in qua ſemetipſum apertiſſime oſtendit; mentis tandem virum, famæ mendacia ridentem, ſeu paraſitum, omnium horarum hominem, ſe præbet. Si naturam almam colendo incepimus, corpus vegetum et nervoſum, in motibus omnibus liberum evadet. Mens incontaminata, frontem liberalem monſtrabit. At enim ſi modo impetum vagum, cui ratio nihil adeſt, proſecuti ſumus, timendum eſt, ne flores carperemus, et fructum

fruſtra ſperemus. Si tantummodo ad voluptates et noſtra conſilia tendimus, mirum eſt, ſi in prœliis ſauciamur. Corpus morborum mentem debilem et demiſſam gignet; ut cauſa et effectus agent. Juvenis itaque nequitiæ ſpeciem primam caveat. Poëtæ dictum meminerit;

> " ———— facilis deſcenſus Averno,
> " Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
> " Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras,
> " Hoc opus, hic labor eſt *."

Et conſuetudo in paucis annis labentibus ad omnia incantamenta muniet. Liquores ſpirituoſi, adhuc caute evitandi; aquam ſolum vel cereviſiam tenuem bibat. Verum enimvero quicunque luxuriæ indulſerit, præſertim vinoſo liquori vel ſpirituoſo, ſæpe non ſolum infauſtus commiſeratione egens, aſt revera perditus et contemnendus demum fiat; propterea quod ebrioſitas et corpori et menti æque exitio eſt.

> " Denique cur hominem cum vini vis penetravit
> " Acris, et in venis diſceſſit diditus ardor,
> " Conſequitur gravitas membrorum! præpediuntur
> " Crura vacillanti! tardeſcit lingua! madet mens!
> " Nant oculi! clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt!
> " Et jam cætera de genere hoc, quæcunque ſequuntur †."

---

* Virg. Æn. VI.

† Lucret. Lib. III.

Donec tandem homo temulentus, diu ſibi ipſi et aliis mortuus, omnibus contemptus, in ſepulchrum decidit. Ingluvies æque ac ebrioſitas, et mentem et corpus perdunt, " corpus ſine pectore" gignunt.

" The firſt phyſicians by debauch were made,
" Exceſs began, and ſloth ſuſtains the trade:
" By chace our long-liv'd fathers earn'd their food,
" Toil ſtrung their nerves, and purify'd their blood *."

Cibus ſimplex et facile paratus, facillime plerumque concoctus, conſtitutioni quapropter humanæ optime aptatus. At dapes, eſcæ conditæ, et omnia condimenta ad ſtomachum acuendum, cum liquoribus ſpirituoſis veneni quædam ſpecies æſtimarentur. Victus ex regione animali vegetabilibus commixtus, cujus lac compoſitio eſt optima, nutrimentum plerumque facillime concoctum, et ſtomacho minime noxium, præbet.

Exercitatio et mentis et corporis libera, ut ineunte ætate, maximi procul dubio eſt momenti, et ad ſalutem conſervandam et ingenium promovendum quibus Pater Æthereus nos dotavit.

Munditiеs, lavatio frigida frequens, et balneum ſubinde frigidum, et mentem et corpus vegetum et robuſtum reddunt.

---

* Dryden.

Veſtibus levibus et foventibus, aſt minime æſtuantibus indui, haud onerari, et in regione hac boreali, panno laneo ſecundum cutem tegi, ad ſanitatem maxime conferet.

Somno, ætate hac virili, nequaquam indulgetur: temporis, magni pretii, quarta pars, aëre libere admiſſo certe ſatis pro naturæ neceſſitatibus: et qui dormiunt, nocte dormiant.

Stragulæ leves, culcita, ut ſupra, ex ſtramine ciliciove confecta.

Ita pro naturæ legibus, ſenſuque communi ductus, morbi pauci et leves, et ſenectus et mors cum appropinquant, terroribus haud induentur.

Pueritia ſin et ætate virili, veſtimentum leve et fovens, edendi et bibendi moderatio, exercitatio et mentis et corporis modum haud ſuperans, ad ſanitatem tuendam, rationes poſtulabant, ſane plane utiles cum vita ad finem vergat. Ubi veruntamen debilitas ſenectutem invaſit, ita ut exercitatione, ſub dio, quæ ſemper anteferretur, frui nequit; ſella agitans, aut frictio cum panno laneo aut ſtrigili, locum ſuppeditet. At, ne clam compilem, verba appoſita illuſtr. Gregorii audi.

“ Poſtremo cum neque exercitationi locus eſt
“ neque geſtationi, tum ad frictionem confugian-
“ dum eſt; quæ aut ſicca, cum ſtrigili aut panno

" laneo aut manu calida, aut demum cum oleis, " aut cum vaporibus medicatis (ad ſatisfaciendum " ægrotantium animis) remedium roborans haud " contemnendum fiet. viribus muſculorum opitu- " lari videtur; et certe ſanguinis curſum juvat, et " actionem vaſorum reſorbentium multum promo- " vet et exhalationi per cutem favet, et generalem " ideo vigorem corpori conciliat *."

Sodalitas hilaris inter amicos fideles, ubi homines libere fabulentur, et animus, quodcunque inquietet, ſine metu exoneret, cum gaudio mente conſcia recti orto, ætatum omnium ſalutem maxime promovet, et ſenectutem, in mortis etiam articulo, placidam reddit. Ita, verbis Remmington, " cum qui ſobrie et caſte priorem ætatem tranſi- " gerunt, neque ſuis neque parentum ſuorum " vitiis ſanguis cæterique humores corrupti fue- " rint, eorum profecto ſenectus neque miſera, " neque morborum cruciatibus exagitata abrum- " pitur. Sed tempeſtiva maturitate diſſolvitur *."

Hæc diſſertatiuncula, minime equidem expolita, nunc prope finem perducta; me vix pharmaca commendaviſſe objiciatur, et nimis leviter de modo morbos tractandi diſſeruiſſe. quod objicitur, ſine dubio, ſuum momentum proprium habet. Attamen, " Audite, o mentibus æquis," munus hoc

---

* Gregor. Conſp.

† Remmington, de Vitæ Quatuor Gradibus, p. 22.

excuſſiſſe ut debet, ingenio acutiori ac eruditiori egeret, et otio minus interrupto quam ſorti meæ contigit, quapropter vix quidem conatus ſum. porro periculum artem medicam, nunc hodie, minitans, ni fallor, proclivitas vehemens, imaginationi prurienti auſcultare, theorias ſpecioſas fingenti, vires naturæ medicatrices perfunctorie prætereunti. proprium eſt medicorum, ut mihi ſubmiſſe videtur, "qui diſcunt ſuccurrere miſeris," ſedulo naturam colere, caute interdum opitulare, raro compeſcere, rariſſime cogere.

Nulla medicamentorum inopia eſt; heu! nimis facile ſæpiſſime inveniuntur. Adeo quidem ſæpiſſime ægroti, cum attentione minima aut ad electionem aut formam, pharmacis farti fuiſſent, ut quodcunque faſtidium afferat, in proverbium nempe pharmacum abiit. "Agendi gnaro, candore "ſolito exclamat Sydenhamus, raram medendi "penuriam. quid ergo opus tam vaſta pompoſæ "oſtentationis materie medica? eo pulchrius offi-"cium fecit medicus quo pauciora præſtitit *."

Reſtat ſolummodo, ut profeſſoribus celeberrimis Almæ hujus Academiæ, cum ob tolerantiam tum candorem, gratias maximas agam.

---

* Annals of Medicine, 1798. p. 455.

FINIS.

GLASGUÆ:
EXCUDEBAT JACOBUS MUNDELL.